

vel habere possent, ita quod completo dicto eorum offitio quodlibet aliud offitium habere possint, si fuerint electi et confirmati. ¶ Qui vero offitiales cum notario inquirere debeant et acusare omnes conducentes vinum, vel uvas, ortum extra districtum Tergesti vel in districtu contra formam statutorum civitatis Tergesti. ¶ Si vero aliqua persona conduceret aliquod vinum sive uvas ex aliquibus vineis, scitis extra districtum civitatis Tergesti in civitatem Tergesti, videlicet a terminis Cereti ultra tantum, que non essent scripte in libro ¹⁾ [communis Tergesti ad] hoc deputato, etiam tales contrafat[ientes accusare, et acusis ipsorum factis super predictis adhibeatur plena fides cum sacramento eorum. Salvo quod persona accusata per ipsos probare possit se legitime conduxisse dictas uvas vel vinum de suis vineis secundum formam statutorum cum tribus testibus ad minus. Et habeant medietatem condemnationum factarum occasione suarum accusationum. Et quelibet alia persona accusare possit contrafatientes] // probante accusam legitime et habeat medietatem condemnationum occasione suarum accusationum. ¶ Item quod dicti offitiales providere et inquirere debeant de hiis qui incanipaverint vinum aliquod in valle de Mucho sine in vallis de Opchiena ²⁾ de Bisoviza, Proseco, Sancta Cruce et Sancto Primo ³⁾ vel in aliqua ipsarum contra formam additionis sive statuti, de novo facti in .MCCC. quinquagesimo indictione tertia, positi libro .II. capitulo .LXIII., et inve[n]tos contrafacere denunciare et acusare, et eorum acusis adhibeatur plena fides, et habeat[ur] de predictis solummodo tertiam partem condemnationum factarum ex eorum acusis.

49 A

¹⁾ Lacuna: mancano sei righe intere. Vedi nota alla pagina precedente.

²⁾ *comphona*. La sigla del *com* fu poi corretta in *o*. Il foglio è di mano del copista inetto. ³⁾ *Sancti Primos*.